Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6330
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

periculosa Et ita nullus debet predicare de aliquo bono virtutis
nec aliquis deberet esse sacerdos aut episcopus quia grauius
peccat quam laycus ymmo nullus debet esse christianus cum et
christiani grauius peccent quam infideles iuxta illud Joh. xv. Si non
venissem et eis locutus non fuissem peccatum non haberent
Et luce xij seruus sciens voluntatem domini sui et non faciens
vapulabit plagis multis Nullum autem periculum imminet
voventi ex ipso voto aut obligatione sed ex culpa hominis
qui mutat voluntatem transgrediendo votum secundum illud
Aug. Non te vovisse peniteat ymmo gaude tibi sic iam non
licere quod cum tuo detrimento licuisset Votum enim religionis
quantum de se est ut dicit S. Tho. 3o quodlibet q. 23 non dat homini
occasionem ruine sed magis subtrahit quod autem transgressor
grauius ruit hoc non derogat bonitati voti sicut nec de
rogat bonitati baptismatis quod aliqui post baptismum
grauius peccant Et ideo non sequitur quod propter hoc talis obli
gacio vel inductio sit illicita Et propterea licet non numquam
sic inducti vel obligati apostatent non tamen propter hoc est ab
aliorum inductione abstinendum Sicut enim deus non permisit
in veteri et in novo testamento sibi eligere populum specialem
propter multos ipsum deserentes neque christus permisit eligere
12 discipulos propter unum quem sciebat esse futurum dyab
olum Johis 6o Nec etiam apostoli permiserunt eligere vij